

/ Roberto Bellarmino S.R.E. Cardinali. Romam.

Gratiarum actionem de Missa S. Angeli Custodis a S. Apostolica Sede approbata, et ab Ill/ma G.V. transmissa, tantisper distuli, donec Scalae Ascensionis in Deum typis nostris editae exemplar simul
5 mitterem. Cui recudendae formam et typos paullo angustiores selegi ut et senibus commodior esset editio, nec junioribus omnino ingrata Operas nostras et correctionem typographicam Ill/ma G.V. (uti confido) non improbabit, tum quod ad interpungendi modum, tum quod ad S. Scripturae sententias juxta editionis vulgatae exemplar recensitas:
10 idque non tam nostro quam Patrum Societatis quos consului iudicio. Siquidem vel ipsa sacri textus verba exprimere solemus, vel, si ab Auctoribus ut sententiae suae accommodent varientur, nullum adhibere characterum discrimen, quam rationem et in hoc libello cudendo observandam duximus. Pluria exemplaria prima occasione mittam: quae,
15 cum bono Deo, haud deerit, P. Heriberti^{*} de Vitis Patrum opere absoluto. Concionum correctorium accepi, de quo gratias Ill/mae G.V. ago: et de illis recudendis, ut et de libro de Scriptoribus ecclesiasticis, libens cogitabo cum pauciora Coloniensibus bibliopolis exemplaria superesse intelligam; et quae jam sub proelis sunt, absol-
20 vero. Vitas quas dixi Patrum R.D. Francisci Lucae Decani in S. Joannis Evangelium Commentarii Complementum, R/mi Nostri Malderi de Justitia et Religione commentarium, una cum De Virtutibus theologicis jam cuso emittendum in lucem, quae quidem finire citius liceret, ni veteres et solemnes typographiae Plantinianae libri recudendi recur-
25 rerent: Missale romanum in fol., et Breviarium in 8^o, Concordantiae SS. Bibliorum ad Sixtinae et Clementinae eorundem editionis exemplar a R.D. Francisco Lucae recognitae, Plantarum Historia Dom. Dodonei, ipsa Ill/mae G.V. Grammatica Hebraica: ut omittam Jacobi Bosii triumphantem Crucem, quam mox editurum me addixi, et ben. mem. Cardinalis
30 Baronii Annalium *decem Tomos recudendos, ut reliqua tomorum, qui nunc abundant, haud inutilis restet moles. Et vero in Annalium Tomi

4 juin 1615. Balt. Moretus à Bell. (contin.)

15
4081^a

/ necessario proela occuparent, jam animus sit Controversiarum tomos
recudere, quos sempiternae Ecclesiae catholicae bono Ill/ma G.V.
conscripsit. Vale Ill/me Ecclesiae Princeps, et me et fratrem meum
Joannem, humillimos clientes tuos, amare perge. Antverpiae, in offi-
5 cina Plantiniana Prid. Non. Jun. 1615.

Anvers. Musée Plantin. lettres 1607-1615. p.250-51.